Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1747
Quelle:
Copyright:

glorum, de quodam, *in regione northymbriorum que vocatur in cuningrum*, per modum *Tundali* extra corpus infernum et coelum lustrante, et, quae vidisset, deinceps *Emgilo* monacho et presbytero referente.

II. *fol.* 81. p. 2. *Incipit prologus in librum de apibus quem bonum uniuersale uocant. Thomam Cantipratanum* O. P. *Brabantinum* autorem novimus et *Apiarium* hunc illius, inscriptum *Humberto* generali Ordinis sui magistro jam utroque *Vol.* retulimus. Exemplar praesens collatum cum Edit. *Duacena Colvenerii* 1597. 8. in II. quidem Libros divisum est, qui tamen Capitum numero dissident; prior enim non XXV. sed XXVI. posterior non LVII. sed LXI. numerat, Textu tamen utrobique integro.

III. *fol.* 173. *Incipit prologus in excerptum Dyalogi Cesarij.* Decepit Librarios hujus Prologi initium: *Colligite fragmenta ne pereant* &c. Hinc arbitrati sunt, haberi hic e magno *Caesarii* Monachi *Cisterc. Vallis S. Petri* vulgo *Heisterbacensis* Opere dialogico XII. *Distinctionibus* constante non nisi *Excerptum*, cum tamen integrum adsit, si Prologum demas, qui nobis ibi finitur: *Et quia continencia huius dyalogi satis miraculosa est, nomen ei indatur dyalogus miraculorum*; in *Tissierii* autem *Bibliotheca Cisterc.* T. II. p. 2. ulterius procurrit ordinis *Distinctionum* rationem reddendo. Multa in his *Distinctionibus* incredibilia et absona legi, fatentur Editores ipsi, Autor vero in Prologo ita viam sibi praemunivit: *Testis est michi deus, nec vnum capitulum quidem in hoc dyalogo scripsisse* (Edita recte *finxisse*) *etsi aliqua forte aliter sunt gesta quam a me scripta, magis videtur hijs imputandum, a quibus sunt relata.* Certe *magis*; interim istud a credulitatis vitio *Caesarium* non purgat. Nomen suum ille, uti *Cantipratanus* συγχρονος, reticuit; innuit tamen, e primis VI. priorum *Distinctionum* literis illud erui posse, et en e combinatis illis CESARI.

DCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 158. 12. eleganter scriptus manu, ut Scheda inserta testatur, *Luitholdi* pluries memorati Coenobitae *Lacus Lunae* vulgo *Monsee*, et rubricis distinctus Asceticus est primumque offert Tractationem de Humilitate, Obedientia et Timore Caritatis προδρομῳ ad novellos Religiosos directam, quae incipit: *Quia humilitas est genitrix uirtutum, et hominis humilitas non ab homine, sed desursum est, ab eius humilitate incipiamus, qui ait: Discite a me* &c. Si *Luitholdus* scriptor est, non est autor; non enim scripsisset *fol.* 25. p. 2. *nititur homo ad plantationis fraudulenter culmen attingere* pro *praelationis.* R. 3348

Fol. 45. p. 2. Sequitur Epistola ad quasdam sacras Virgines, *Karissimis in christo sororibus Fr. L.* aut *G.* aut etiam *B.* ita difficulter statuas. *Aliquando uobis loquens*